



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 106. Pontificis postulata pro bello Turcico

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1459.

gerendum fore, ac ideo validissimum exercitum educere, necesse esse; Germaniam vero, Franciam, & Angliam domesticis scindi diffidiis, has igitur prius pacandas esse, bellum deinde Turcis indicendum.

§. CVI.

*Pontificis postulata pro bello
contra Turcas.*

Quamquam Clivensis Ducis rationes satis graves viderentur, nihil tamen morari poterant summi Pontificis studium, quo Religionem tueri constituit. Quare Legati verba excipiens respondit, fateri se, raro in Orientem sacras expeditiones factas esse sine Gallorum auxiliis, eorumque defendendæ fidei fervorem semper reliquos inter eminuisse; Ceterum daturum se operam, ut diffidia inter Francos, & Anglos componerentur: Germanos vero pacare difficilioris momenti negotium esse, longumque exposcere tempus: nihilominus tamen se necdum prosperi successus spem abjecisse, dummodo prompta, ac seria consilia foverent Principes; si enim diuturnior neceretur mora, timendum, ne tota periret Hungaria; hac semel a Turcis occupata, in Germaniam, indeque in Italiam, Hispaniam & Galliam liberum eis patere aditum,

aditum, cum id etiam sæpe alias Barbaros Sæcul. XV.
 fecisse constaret. Præterea exposuit A C 1459.
 Pontifex, non adeo copiosa efflagitari
 subsidia, quibus Principes regna sua ex- *Comment.*
 hauriri timerent, sed duntaxat, ut quili- *Pii II. lib. 3.*
 bet tot præberet, quibus exercitus quin-
 quaginta vel sexaginta millium cogi pos-
 set; majores enim copias vix usui futu-
 ras: Posse & Reges aurum conferre, quo
 milites ex Hungaria, Germania, Bohe-
 mia, & Polonia conscripti Ductore Lega-
 to Apostolico, non modo Hungariam,
 sed & proximas tuerentur Provincias,
 donec unitis viribus majores copiæ pa-
 rarentur. Denique subjunxit Papa, Bur-
 gundiæ Ducem ad ampliora teneri sub-
 sidia; illum enim non solum potentia ce-
 teris prævalere, sed etiam obstrictum
 voto esse ad bellum in Turcam moven-
 dum; eidem quoque opportunam offerri
 occasionem ulciscendi vicem Patris sui,
 quem Infideles isti diuturni carceris squa-
 lore vexassent. Verum his Papæ ratio-
 nibus Dux Clivensis a suo proposito di-
 moveri haud potuit, bene conscius, Bur-
 gundiæ Ducem ad ferendas hujus belli
 expensas parum propensum fovere ani-
 mum. Nihilominus Dux validis Pii Pa-
 pæ sollicitationibus expugnatus equi-
 tum duo millia, totidemque peditum se-
 missuram pollicitus est, qui suo ære ale-
 rentur,

Sæcul. XV. rentur, quamdiu reliquus Christianorum
A. C. 1459. exercitus in bello militaret.

§. CVII.

*Mediolanensis ac Mutinensis Duces
Mantuum delati.*

Paucis post Clivensis Ducis adventum diebus, Franciscus Sfortia Mediolanensium Dux Mantuum adiit. Huic adventanti duo Cardinales occurrerunt, & Franciscus Philephus Emanuelis Chrysoloræ Gener, Vir omni eruditione clarissimus, tanta eloquentiæ ubertate orationem habuit, ut Pontifex illum *Musam Atticam* nuncuparet. Præcipue Ducem hunc ob fortitudinem ac defendendæ fidei studium commendabat, qui vere tanta laude dignus erat, eoquod omnibus generosi Principis dotibus, atque prærogativis liberaliter dotatus esset.

*Papiensis
Epist. 25.
Bergom.
lib. 15.*

*Trithem. de
Script. Eccl.
Paul. Jov.
in Elog.*

Borsius Mediolanensium Dux morbo præpeditus, Fratrem suum Mantuum misit, qui ejus nomine trecenta aureorum millia pollicitus est. Aduere item Florentinorum, Senensium, & Bononiensium Legati, qui & ipsi sua spondebant auxilia. Genuenses quoque minime se defuturos promiserunt, id tamen publice non audebant sine jussu Regis Franciæ, cujus imperio paulo ante sese subjecerant.